22

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
OTORRHŒA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS RUSSELL,

COLLEGII CHIRURGORUM REGII EDINENSIS SOCIUS,

ET SOCIETATIS MED. EDIN. SOCIUS EXTRAORD.

" ———————— aurium inflammationes doloresque interdum
" etiam ad dementiam mortemque præcipitant."

CELSUS, *De Re Medica*.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PATRI SUO

JACOBO RUSSELL,

ARMIGERO,

IN ACADEMIA JACOBI VI.

CHIRURGIÆ CLINICÆ PROFESSORI;

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIUM

SOCIO,

REGALIS SOCIETATIS EDINBURGI


PROPRÆSIDI,

&c. &c. &c.

HANC DISPUTATIONEM

D. D. C.QUE

JACOBUS RUSSELL.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OTORRHŒA.

MATERIA ex aure effusa quatuor modis gigni potest; aut enim effectus est secretionis morbosæ de glandulis ceruminosis, aliisque auris internæ partibus; aut exitus inflammationis in iisdem partibus, ut abscessus vel ulceratio formetur efficientis; aut ex ossiculis in aure carie tactis, oritur; aut, denique, sequela est morbi vicini qui exitum per aurem invenit.

Effusio quæ fit ex aure, ob secretionem auctam membranarum quæ faciem ejus internam inves-

tiunt, nonnunquam est purulenta (1), sed sæpius mucosa, indole tamen, evidenti ex ceruminis et seri admistione, temperata.

Itard (2) memorat se vidisse profluvium ex aure mucosum in otorrhœam purulentam transire. Membranâ tympani perforatâ, superficies pus effundens multum augetur, et profluvium valde fit copiosum ; quod tamen, secretio aucta, frigore, vel corpore extraneo in cavitate auris existente, inducere potest. Zacutus (3) post Avicennam exemplum tradit pueri sex annos nati, cui fuerunt effusiones perpetuæ fœtidæ ex aure ob octo vermes, " similes iis qui in vetustiori caseo gigni solent," et his sublatis in integram valetudinem restitutus est.

Profusio ichoro-purulenta aliquando fit ex glandulis ceruminosis secundum Hoffmann (4).

---

(1) White's Surgery, p. 250. C. Bell's Operative Surgery, vol. ii. p. 112.

(2) Itard, Traité des Maladies de l'Oreille et de l'Audition.

(3) Zacutus Lusitanus, Praxis Medica, p. 50. Obser. lxiii.

(4) Hoffmanni Opera, vol. ii. p. 337.

Quoniam omnes hi fluxus proclives sunt ut perpetui fiant, quam primum iis occurri oportet. A nonnullis autem dictum fuit quam celerrime esse talia promovenda, quia materies acrimonia sua præcipue nocet (1). LESCHEVIN dixit (2), "Il survient souvent dans les enfans, et quelquefois dans les adultes, un ecoulement d'humeur sereuse qu'il seroit dangereux de vouloir reprimer. Cette maladie arrive lorsqu' une serosité trop abondante imbibe les petites glandes cerumeneuses. Alors cette humeur s'echappe par des conduits excreteurs de ces glandes, ce qui constitue l'ecoulement sereux." De diversis generibus profluvii ex aure loquens PORTAL (3) hæc habet: "On en a vue des ecoulemens sereux si abondans, et pendant plusieurs jours, qu'il trempoient plusieurs grandes linges; souvent l'ouie alors n'est viciée nullement;" unde illi visum est, materiam effusam non ab aure proxime exire. Casum memo-

---

(1) SYLVII DELABOE Praxis Medica, p. 88.

(2) Prix de l'Academie de Chirurg. vol. ix. p. 153

(3) Anatomie Medicale, vol. iv. p. 452.

rat VALSALVA (1) pueri, surdi et muti nati, qui auditum et loquelam cito post nonnihil aquæ ex aure effusum perfecte recuperavit. Sed quamvis aliquando accidat ut serum alibi gignatur, et ex aure externa profluat, verisimile est, siquando materia effusa limpida est, et rivulo non interrupto exit, hanc, secretione in membranis aurem vestientibus aucta, oriri. Cum effusio secretioni morbidæ tribuenda est, dolor nisi ipso impetûs initio haud erit acutus vel lancinans, sed potius sensum ponderis et molestiæ præbebit.

Frigore vel humiditate plerumque inducitur; aliquando cum variis constitutionis affectibus, miro modo alternat; cujus rei historia subnexa exemplo sit.

Serva, olim bis terve Hysteria agitata. Corpus pleniusculum est, a struma et temperamento calidiore nihil alienum. Ventriculo vehementer laborat crebrisque vomitionibus, nauseabunda; a cibis vulgaribus abhorrens, ophthalmia quoque chronica mire vexatur. Ventriculum roborandi necnon oculos sanandi gratia, bis vel amplius frigidario usa est, tempore æstivo.

(1) VALSALVA apud MORGAGNI, vol. i. p. 181.

Subito prorupit scabies quædam circa aures, nunquam antea visa, cum copiosissimo ex meatu externo profluvio humoris pellucidi, decoloris, inodori, adeo autem acris, ut quacunque per genas vel collum fluxerat, pustulas atque scabiem incitarit. Miro pruritu fuit hæc auris conditio, quem tamen opii solutio adeo lenivit, ut humoris acrimoniam augere videretur. Acetas plumbi ex aqua injectus, pustulas (quæ, verisimile est, sola humoris irritatione genitæ fuerant) facillime sanavit. Statim vero rediit ophthalmia, atque, hoc restituto, non minus raptim decessit, usque ad tertiam vel quartam vicem.

"Est humiditas (1) quæ ex cryptis pone auriculam sitis, in pueris cacochymicis, sobolescit, et puris adinstar linteis maculas flavas ac firmitatem conciliat: ea vero humiditas excrementitia locum tenet vesicatorii, caput, oculos, faciem ab aliis incommodis liberat; hac repressa accidit, ut vel fluxus ex aure interna etiam procedat, aut ophthalmia infestet."

---

(1) Sauvagesii Nosolog. vol. ii. p. 413. Otorrhœæ, cum Catameniis et fluxu hæmorrhoidali alternantis, exempla in Ephemerid. Nat. Curios. Decad. II. memorantur.

Morgagni (1) citat Moglingium et Luabium de exemplis, in quibus Otorrhœa purulenta cum Amaurosi alternatim facta est. Swan, horticultor, ætatis xxv annorum, quem nuper mihi contigit sæpe videre quum unus ex amicis meis eum curaret, spatio jam quatuor annorum Diabete copiosissima vexatur. Per duos ante menses, Otorrhœa pus flavum spissumque profundente, laboravit. Urina, quæ, accedente otorrhœa, paulatim decrescere cœperat, saccharina manet, atque ad vel etiam infra normam naturæ minuta. Auditus quidem difficilior, sed non multum doloris adest.

Finis frequentissima otitidis, cui non occursum fuit, abscessus, quo rupto pus spissum effunditur, et cito sanescit vulnus, formatio est. "Otalgia plerumque a causa interna solvitur, et abscessu finitur (2)." "Cette maladie familiaire aux enfans n'exige presque d'autre remede que la propreté (3.)" Hoc malum, in nostra regione fre-

(1) Epist. Anat. Med. xiv.—6.

(2) Hoffmanni Opera, vol. ii. p. 337.

(3) Leschevin, p. 154. loc. cit.

quentissimum, vulgo cognoscitur sub nomine "*Bealed ear*." Dolor qui id comitatur acutissimus est et lancinans, tinnitus aurium adest, pulsus sæpe acceleratus, cum cephalalgia cruciante, cui aliquando et delirium et phrenitis addantur. Hæc inflammatio intra spatium temporis brevissimum cursum ejus persolvit, pus intra horas duodecim post primam symptomatum accessionem formatum fuit, et si per longum tempus actio inflammatoria continuatur, pus fere generatur.

Cum inflammatio meatum externum solum occupat, auditus potius hebes fit quam suspensus aut deletus. Nonnunquam tumor et dolor auri non sunt proprii, sed per totum latus faciei, et deorsum ad angulum maxillæ inferioris tendunt. Sed omnis affectus molestus plerumque evanescit quum primum rumpitur abscessus, et materia purulenta effunditur.

Hic affectus rarior inter adultos observatur, et si quando fiat, multo periculosior quam apud pueros existit. Tumor intra et circa aurem adeo aliquando insignis, ut paralysin faciei ejusdem la-

teris(1), portionem duram quinti paris opprimendo, et alias sequelas molestas et etiam lethales (2) intulerit, sive ob actionem inflammatoriam in membranis cerebri genitam, sive quod in cavitatem cranii effusionem puris effecerit.

Exempla plurima traduntur, in quibus, post mortem, pus in cerebro inventum fuit cum aure communicans; sed in multis difficillimum est judicare, unde veniat materia; utrum in aure genita fuerit et in cerebro effusa, an ex abscessu cerebri cui exitus per aurem fuisset. MORGAGNI (3) de duobus casibus loquitur, in quibus videretur materiam in aure genitam fuisse,et,per os temporis carie laborans, in cavitatem cranii effusam. "Sed illud maxime utrique commune fuit, propter quod has tibi geminas descripsi historias, ut per cariem via inter aures pure manantes et cranii cavitatem pateret, nec quisquam tamen cum intra hoc pus conspiceret ejusdem naturæ suspicari posset, illam

---

(1) Lond. Med. Chirurg. Trans. vol. xii. p. 113.

(2) KENNEDY, Ophthalmagraphia, p. 104.

(3) Epist. Anat. Med. XIV. Art. 356. ITARD in eandem init opinionem, vol. i. p. 227.

viam fuisse a cranii cavo ad aurem; sed omnes contra eorum quæ præcesserant ordinem attendentes, fuisse ab aure ad cranii cavum faterentur." Me judice, casus ROSTANI (1), in quo pus repertum est ad membranam arachnoideam adhærere, ejusdem est ordinis. Casui maxime insigni GRATTANI (2), ut verisimile est, eadem fuit origo. POWELL (3) quoque historiam memorabilem tradit: "Sanies autem cavum cranii petens meningem, cerebrum et ossa cranii invadit, hemicranium, convulsiones, paralyses vel, et mortem post se trahens apoplecticam (4)." Casus hujus morbi morte finiti, pure in cerebrum effuso, pro rata parte rari sunt, et sæpe accedens otorrhœa suppurationem posse fieri in aure, non solum sine vitæ

---

(1) Nouveau Journal de Medecine, vol. ix. p. 240.

(2) Trans. of Physicians in Ireland, vol. ii. p. 318. ALAND exemplum ejusdem generis memorat, p. 35. loc. cit.

(3) Med. Trans. College of Physicians in London, vol. v. p. 215.

(4) Tractatus de Otalgia, auct. DAN. MELATIDE, Vienna, 1820, p. 27.

discrimine, sed sine auditus injuria diuturna, extra omne dubium ponit.

Hujus affectus causæ sunt, frigus, humiditas, aliquando irritatio in parte vicina, ut dentitio vel dentis caries, quinetiam, ut multis persuasum est, epistaxis vel aliqua ex hæmorrhagiis vel profluviis suppressa. Fortasse et otorrhœa, quæ in hydrocephalo aliquando adest, ex eadem causa originem ducit. Dolor multum ingravescit inspirando aërem frigidum, mandendo porro ac devorando. Surditas imperfecta nonnunquam sequitur, quam membranæ tympani pondere puris inclusæ laxatæ attribuere ALANDO placuit. Multum disceptatum fuit, num his effusionibus necne obstare debeat. Hoc sæpe factum fuit sine fraude vel injuria (1); aliquando certe nocuit. FABRICIUS HILDANUS de effectibus infaustis admotorum medicaminum loquitur (2). ALAND quoque (3) historiam præ-

---

(1) SAUNDERS on the Ear, p. 37. CURTIS' Lectures on the Ear.

(2) Opera, p. 406.

(3) Essai sur le Catarrh de l'Oreille, p. 12. Vide quoque PORTAL, Anat. Med. vol. iv. p. 452. HEVIN, Pathologie, vol. i. p. 111. exemplum valde insigne.

claram tradit sequelæ infelicis usu acetatis plumbi adductæ, ut hic secretioni morbidæ ex glandulis ceruminosis obstaret. Nunquam tamen errare possumus, consilio LESCHEVINI parentes nimirum, ut causas internas, quæ vi pollent fluxum inducendi, minuamus; quamvis in plerisque exemplis sine noxa per epithemata paulatim tolli licet.

Fluxus tamen fiunt ex aure quos haud temere supprimere oportet, non quia metus est ne puris itineri obstetur a cerebri abscessu, sed ad prohibendum ne caries fiat ossium, quam verisimile est ex pure incluso intra aurem, quamvis illic nato, gigni posse. DUVERNEY (1) de viro loquitur qui fluxu perpetuo purulento ex aure per annos XXV laborabat, et qui hora vigesima quarta post suppurationem suppressam obiit. Cadavere resecto nullum vitium vel ossium vel cerebri detectum fuit, sed serum in ventriculis. Non traditur quomodo profluvio obviam medicus iverit; et verisimilius est inflammationem cerebri rebus applicatis inductam, quam profluvium solitum

---

(1) Hist. Anat. vol. ii. p. 173. observ. 113.

tantum impeditum mortem intulisse; quod eo magis patet quia pus in cerebrum, ut sectione cadaveris probatum fuit, non evaserat. Fieri tamen potest ut pus tantum in meatu existens, si ibi gossypio aliisve retentum, satis irritationis etiam ad phrenitidem gignendam, excitaret. Cum fungi vel polypi ab ulceribus in aure nascuntur, eundem effectum ac gossypium profluvio mechanice obsistendo præbebunt, et igitur ope caustici sunt tollendi.

Num caries ossium auris internæ unquam causa sit primaria puris in otorrhœa generatæ, an tantum ab irritatione ex partibus vicinis mollibus communicata, inducatur, adhuc sub judice est. LIEUTAUD (1) de casu loquitur in quo "os petrosum, integra dura matre, cariosum repertum est." "La carie de la caisse du tympan est une maladie assez rare, à raison de l'extrême dureté de la portion pierreuse du temporal. La portion mastoidïenne, plus sujet à cette affection, verse quelquefois du pus dans cette cavité, par l'ouverture commune de ses cellules; ce fluide, vicié par

(1) Hist. Anat. vol. ii. p. 173. observ. 113.

le contact de l'air, enflamme et detruit la membrane du tympan, determine la carie des osselets et la surdité (1)."

Secundum TRNKA, "sanies e poro acoustico vel faucibus prodit, cum nigris squamulis osseis (2)." Ex his aliisque exemplis (3) mihi videtur præcipue in ægris qui habitu pravo, tabe scrofula vel lue venerea laborant, ossa auris internæ sedem morbi primariam nonnunquam fieri. Sed utcunque hoc se habeat, ossa postea sæpe corrumpuntur, et malum multum inde augetur. MORANT (4) de ægro loquitur, in quo ossa auris internæ post scarlatinam, propter abscessum formatum, emissa fuerant. Hoc minime raro fit, imprimis in scarlatina, sed quoque in quibusdam aliis febribus (5); et, cum omnia ossicula emissa sunt, auditus prorsus et in perpetuum perit.

---

(1) RICHERAND, Nosographie Chirurgicale, vol. ii. p. 134.

(2) TRNKA, de Historia Cophoseos, p. 81.

(3) LESCHEVIN, Prix de Chirurgerie, vol. v. p. 183.

(4) London Philosophical Trans. vol. lii. p. 264.

(5) BURSERIUS, Medicina, vol. i. p. 370. GRAHAM, Practical Observations on Continued Fever, p. 31.

Structura, ut videtur, sine auditu penitus deficiente, interdum multum vitiatur, et in quibusdam talibus observatum est, quod si stapes supersit (1), aliis ossiculis emissis, auditus quadam ex parte superest. "Souvent l'ecoulement est incurable; s'il provient d'un ulcère avec carie dans la caisse, dans le labyrinthe, il est mortel, à cause des progrès de la carie dans le crane, et de l'amas du pus sur la dure-mère et dans le cerveau. L'impossibilité de voir le mal et de panser dans un canal ètroit et tortueux, l'humideté naturelle de ce canal, le séjour du pus favorisé par sa pente et par la direction du conduit concourent aussi à rendre les ulcères si rebelles aux remèdes (2)."

Membrana tympani aliquando late læsa fuit, auditu non multum inde affecto (3), et interdum post destructionem regenerata. VALSALVA dixit, "Posse membranæ tympani vulnera, vel

---

(1) ALLAN's Lectures on Surgery.

(2) CHOPARD et DESAULT, Maladies Chirurg. vol. i. p. 127.

(3) London Phil. Trans. 1800, Pars Prima. FABRICIUS HILDANUS, p. 189.

nullo adhibito remedio, ita sanari, ut eorum ne vestigium quidem supersit (1)." In multis sectionibus cadaverum otorrhœa laborantium, ossa temporum carie correpta inventa fuissent, et huic, fœtor summus in nonnullis exemplis, et aspectus materiæ effusæ tribui debet.

Commercium præter naturam inter aurem et partes vicinas sæpe formatur, et pus genitum actione morbosa in parte vicina, exitum per aurem sibi invenit. " Memini quidem inflammata et suppurata necdum aperta parotide plurimum ichoris ex auris meatu affluxisse, et a parotide cancrosa auditum penitus abolitum fuisse (2)." Fluxus sanguinis ex auribus læsionem capitis minime raro sequitur (3). Cum pus formatum est ex ossibus cranii, ex cerebro, vel cerebri membranis, aliquando per nasum (4) exit, nonnunquam quo-

---

(1) Valsalva de Auditu, vol. i. p. 488.

(2) Wepfer, Affectus Capitis, p. 395.

(3) Sylvius Delaboe, Med. Practica, p. 38.

(4) Lieutaud, vol. ii. p. 192. 262. Trans. for Improvement of Medical and Surgical Knowledge, vol. iii. p. 103.

que per oculorum canthum (1), sed frequentissime ex aure. Vacher (2), Leschevin (3), Heberden (4), Denmark (5), hanc memorant sequelam ictus gravis in caput accepti, sed longum post intervallum accedentem : in multis casibus induci videtur affectu idiopathico cerebri, sed multum quod ad durationem et sævitiam symptomatum variat. Ægra postquam duos menses dolore capitis cum summo cruciatu auris laboraverat ; cataplasma emolliens admovit, et eodem die, "abscessu in capite rupto, et materia purulenta per dictam aurem copiose effusa, dolor omnis cessavit, atque patiens, per Dei gratiam, pristinæ sanitati restituta fuit (6)."

Exempla plurima memorantur apud scriptores, in quibus effusio purulenta ex aure cum abscessu

---

(1) Storck, Præcept. Med. Pract. vol. i. p. 77.

(2) Acad. Royale des Sciences.

(3) Loc. cit.

(4) Comment. on History and Cure of Disease, p. 70.

(5) Med. Chir. Trans. London, vol. v. p. 24.

(6) Observ. Miscell. Nat. Curios. Decad. xi. Ann. 7. Observatio Eberhardi Gocheli.

in cerebro conjuncta fuit, sed in eorum nonnullis quidem fueritne affectio primaria difficillimum est dictu. "Manant sæpe multo pure, non illic genito, sed, decubitu facto, ab universo cerebro (1)." ABERCROMBIE (2) casus quatuor memorat, DUNCAN (3) tres, MARTIN (4) tres, LIEUTAUD (5) tres, SWAN (6), BLACK (7), O'BRIEN (8), ITARD (9), BRODIE (10), VANDERWEIL (11).

---

(1) Thesaurus Chirurg. p. 289. M. de TRECOURT, Mémoires de Chirurgerie, historiam præclaram memorat.

(2) Edin. Med. and Surg. Journal, vol. xiv. p. 20. et sequent.

(3) Edin. Med. and Surg. Journal, vol. xvii. p. 331.

(4) Comment. Leipsic de Reb. Med. vol. xix. p. 31.

(5) Hist. Anatom. vol. ii. p. 172, et sequent.

(6) Edin. Med. and Surg. Journal, vol. xvii. p. 409.

(7) Transactions of Physician of King's and Queen's College, Dublin, vol. ii. p. 300.

(8) Ibid. p. 309.

(9) Loc. cit. vol. i. p. 254.

(10) Trans. for Improvement of Med. and Surg. Knowledge, Lond. vol. iii. p. 106.

(11) Observations, vol. i. p. 46.

Res molestissima aliquando in otorrhœa se præstat; odor fœtidus in naso, necnon sapor valde nauseosus putridusque in ore; quæ molestia ingressui puris ab aure per tubam Eustachii (1) tribuenda est. Sequela otorrhœæ minime rara est abscessus pone aurem formatio; quo rupto, pus multum per longum tempus effunditur, et non nisi morte terminatur.

Hujus affectus curatio, in generalem et localem diduci potest. Nonnullis exemplis curatio generalis per se valetudinem restituit, absque remediis topicis adhibitis; quippe quæ conditionem corporis malam, exempli gratia, scrofulam glandularum cervicis, otorrhœam excitantem paulatim corrigit. Itaque multis topicis interdici possunt, atque generalia tantum remedia adhiberi; quum vero nihil noceant localia auxilia, generalibus in plerisque exemplis addere licebit. Alvi conditio semper respicienda est; atque crebra ejus purgatio, vel sanguinis modica detractio si febris adsit, utilissime corpus deplebit. Dom. ITARD hæc verba habet de victu ægri: " Un conseil

(1) WILLAN, Diseases of London, p. 52.

qu'on ne sauroit trop recommander aux personnes affectées d'otorrhée, et qui veulent en guerir, c'est de vivre le plus sobrement possible. On ne sauroit croire jusqu'au quel point les fonctions digestives étendent leur influence à ces sortes des maladies." Conii maculati usus internus a Storck et Brambilla laudatus est, nempe cum profluvium a statu scrofuloso glandularum cervicis ortum est.

Curationem localem expositurus, a sanguinis missione topica incipiam.

Hirudines, cucurbitulæ cruentæ, incisiones crebræ, arteriæ temporalis divisio, capitis cruciabilem atque pulsatilem dolorem multum levant.

Quandoquidem otitidis dolor cataplasmate non lenitur, optimum forsan erit partibus vicinis hirudines admovere, atque ab his ad graviora remedia, si opus videatur, transire.

Contraria irritatio in partibus circa aurem facile generari potest, fricationibus ex acidis ammoniave, necnon aura galvanica, scintilla electrica, setaceis, moxa. Si quando cellarum mastoidearum caries originem morbo præstiterit, tum ferrum candens utilissimum fore multi scribunt.

"Lorsqu' un abscès se forme derriere l'oreille dans la région mastoïdienne du temporal, et qu'à son overture l'introduction d'un stylet fait reconnaître la dénudation de la carie de cette partie spongieuse de l'os, il faut, à l'example de TENON et de CHOPARD, y porter le cautère actuel destruire la maladie. L'epaisseur du temporal dans la region mastoïdienne fait que le cerveau ne court aucun danger de cette cautérisation (1)."

Omnia quidem supra dicta remedia laudantur; atque fieri potest uti, sanguine alio diverso, partem laborantem maxime sublevent. AVICENNA quoque in naso irritationem novam excitari suadet, nempe, "inclina materiem ad nasum, et os sternutationibus et gargarismis;" et ALAND exemplum tradit quo, muci e naribus profluvio suppresso, otorrhœa orta est.

Calor ad otorrhœam curandam pro egregio auxilio est. Non alia quidem ratione, lana calida admota, vel cepa assa, illud populi remedium, agere videtur. Plus tamen prodest calor cum humore

---

(1) RICHERAND, Nosog. Chirurg. vol. ii. p. 135.

conjunctus, uti in cataplasmate; vapores quoque medicati inde commodius operantur. HIPPOCRATES tamen cataplasmatum in auris ulceribus usum vehementer reprobat; sed STORCK, et plerique alii scriptores, summis laudibus efferunt, atque longe plurimis exemplis, per se malum fugare valent. Aqua calida meatui partibusque ei vicinis ita admota, ut eas etiam rubefaciat, sæpe dolorem otorrhϾ cruciabilem lenit. Professor DZONDI methodum reperit, qua vapor aquæ extrinsecus ipsi parti commodissime admoveri queat. Cassius ut primum auris abscessus aperire suadet (1).

Opium et alia narcotica in aurem, ad dolorem leniendum, demissa sunt. Vinum opii anodynum esse LESCHEVIN temere negavit: "On pourroit donc conclure que l'usage exterieure de l'opium n'est pas utile pour calmer les douleurs." ZACUTUS(2) Lusitanus, ab AVICENNA, illud exemplum perniciosi opii sic adhibiti effectus narrat: "Hispanus quidam auris vehementissimo oppressus

(1) Clinique Externe, vol. i. p. 247.

(2) Praxis Med. p. 50. Observ. lxi.

dolore plurimos dies insomnis egit, in quibus universalia et topica auxilia sunt celebrata, sed contulere nihil. Hoc cruciatu miserabiliter afflictus pseudomedicorum opem implorat. Hi, ut sunt ignari et audaces, medicamenta ex opio ad provocandum somnum sedandumque dolorem intra aurem imponenda consuluere; quo injecto post horam paulo quievit, illico tamen ingenti tremore concussus, stupidus veluti et amens remansit et præcedenti vertigine, potentiis omnibus deinde extinctis veluti sideratus perpetuo obdormivit." Aliam pene similem narrat historiam, sed in plerisque exemplis opium summum præbet solatium. Olea sæpe in aurem laborantem infundi solent. Ex his oleum Oleæ Europææ, vel amygdali dulcis, plurimis placet. LIEUTAUD post DIOSCORIDEM, oleum laurinum, viride et spissum, expressione e baccis lauri eductum, memorat.

Acetas plumbi, Sulphas zinci, aliquæ frigidulæ atque astringentes lotiones, sæpe felicissime adhibentur; inter eas decoctum roboris Quercûs.

Quando pus in aure collectum stagnat, variæ ejiciendi rationes propositæ sunt. Harum simplicissima est tubam argenteam in aurem demit-

tere, intereaque hominem, ut vehementer expiret cogere, ore naribusque clausis (1). Humorum blandiorum injectio per meatum tubæ Eustachianæ internum (2), perque foramen in cellis mastoideis factum (3), eodem consilio adhibita est.

Galenus decoctum papaveris, cum aqua avenæ, vel decocto lini, in aurem infundebat. Aqua rosarum vel quælibet aqua distillata mitis, commodissime respondet.

Ad maximam partium munditiam, præsertim apud plebem et juniores summa suadeatur attentio, quoniam sordes hujusmodi ex aure accumulatæ, malum irritando non rapide augere nequeunt.

---

(1) Fourcroy, Medicam. vol. ii. p. 251.
(2) Cleland, Lond. Phil. Trans. xli. p. 848.
(3) Callisen, Acta Hauniens. ii. 435.

FINIS.

tere, interdumque hominem, ut vehementer expiret cogere, ore naribusque clausis (1). Hinc eorum blandiendum [illegible] sublime intestinum (2), [illegible] in [illegible] factum (3), eodem consilio adhibita est.

GALENUS decoctum [illegible] aqua ate-mo, vel decocto [illegible], in anum infundit. Aqua [illegible] aqua [illegible] com-[illegible].

Ad [illegible] quam [illegible] apud [illegible] atten-tio, quidem [illegible] accommo-[illegible], [illegible] non [illegible] ne-quiunt.

(1) [illegible], vol. ii. p. 321.

(2) [illegible], Lond. Med. Trans. xli. p. 318.

(3) [illegible], [illegible] ii. 408.

FINIS.